



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 15. De Vocatione quinque Apostolorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

iniurias proprias patientem esse laudabile est, sed ad iniurias diuinas patientem esse impiū est & detestabile.

13. Dæmon à Christo reiectus & fugatus, discessit, vt loquitur Euangelista, *ad tempus*, Sæpenumerò Dæmon, cū præualere nequit contra nos, discedit fingens se victum, vt postea, quando putamus nos securos, inopinato incurfu facilius nos vincat. Quare seruus Dei in hac re debet esse valde cautus, & ita vnā vincere tentationem, vt semper à Dæmone inueniatur paratus ad vincendas alias.



MEDITATIO XV.  
DE VOCATIONE  
QUINQUE APOSTOLORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- Ioan. I.* I. *S. Andreas cum Socio, audiens S. Ioannem dicentem de Christo: Ecce Agnus Dei, secuti sunt eum, eoque die apud ipsum manserunt.*
- II. *Postridiè deduxit fratrem suum Petrum ad IESVM, qui eo viso statim dixit: Tu es Simon, filius Iona, vocaberis Cephas.*
- III. *Idem IESVS iturus in Galilaam dixit Philippo: sequere me. Is Nathanaelem secum deduxit.*

PRO-

## P R O P H E T I Æ.

1. **I**nnocentes & recti adhaerunt mihi. *Psal. 24.*
2. In omni loco oculi Domini contem-  
plantur bonos & malos. *Prou. 15.*
3. Si videris senatum: euigila ad eum & *Eccle. 6.*  
gradus ostiorum illius exterat pes tuus.

## D O C V M E N T A.

1. **D**E Ioanne scribitur, primò, quòd stabat.  
Secundò, quòd respexerit Iesum ambu-  
lantē. Tertiò, quòd dixerit, Ecce Agnus  
Dei. Sic prædicator Euangelicus, primò debet  
stare, id est, esse constans in verbi diuini præ-  
dicatione. Secundò debet per meditationes  
diligenter totum vitæ Christi progressum  
considerare. Tertiò debet populo hanc Chri-  
sti vitam, & exempla ad imitandum propo-  
nere & enuntiare.
2. Christus videns duos illos discipulos se-  
quentes se, conuertit se ad illos. Hinc magnā  
consolationem capere possunt ij; qui relicto  
mundo incipiunt sequi Christum: nec debent,  
vel ob virium suarum imbecillitatem, vel ob  
via difficultatem vel asperitatem, quam in-  
gressi sunt, animum despondere. Nam, vt pri-  
mùm quis incipit tantum bona voluntate se-  
qui Christum, ille mox misericordiæ suæ re-  
spectu ad eum conuersus; addit animū & fidu-  
ciam, viresq; suppeditat perseverandi in finem.
3. Hi duo discipuli etsi aduersperasceret, co-  
mitati sunt Christum, vt audirent eius doctri-  
nam. Christus quoq; non recusauit eos in co-  
mitatum recipere, & docere. Semper est tem-  
pus faciendi benè. Semper est opportunum  
adire Christum. Qui in iuuentute non adiit

non negligat saltem adire in senectute. Semper enim inueniet Dominum paratum ad eum recipiendum, & salutem ei impertiendum.

4. Vt Christus nulla re melius discipulis illis sui notitiam impressit, & suæ doctrinæ capaces reddidit, quàm cum eis dixit. *Venite, & videte.* permisitque vt toto die secum manerent: sic homines mundani & carnales, neque credere, neque capere possunt, quantum bonum sit seruire Deo, & quanta conscientia pace, quantaque spiritus voluptate fruuntur, qui in religione se Deo dedicârunt, nisi experientia ipsa conentur probare.

5. Andreas conuersus, mox quæsiuit Simonem fratrem, eumque ad Christum adduxit. O quàm multi hodie secus faciunt, qui licet professione Christiani, non solum non student parentes & amicos suos adducere ad Christum: sed quando animaduertunt eos ad deserendum sæculum, & sectandam perfectionem Christianam propensos, conantur eos omnibus artibus & modis à bono proposito absterere!

6. Dixit Christus Nathanaeli? *Quando eras sub ficu, vidi te.* Magnoperè pudesceri & formidare deberet peccator, sciens, se quoties peccat, licet in occultissimo loco, in conspectu versari Dei, qui eum aliquando est iudicaturus. E contra magna consolatione affici debet homo iustus, sciens, non solum desideria sua & bona opera explorata esse Deo, olim remuneranda, verùm etiam labores, afflictiones, & tentationes, quas in dies patitur, aliquando coronandas.

MEDI.